

beneficium spirituale ad salutem necessarium, tunc tenemur illud inimicis impendere, sicut orare pro eis, non quidem in speciali, sed in generali. Ita (scilicet) ut non excludamus eos ab orationibus communibus. Si verò est beneficium temporale, ad hoc non tenemur, nisi in casu necessitatis. Notandum tamen esse inimicum dupliciter, scilicet personam & ecclesiam. Igitur personam inimico benefacere perfectionis est, nisi in quantum illi vel alteri beneficium nociuum esset, quia in tali casu beneficium subtrahere vitale est. Inimico ecclesie beneficium subtrahere perfectius est, & melius nisi in quantum per beneficium speratur reconciliandus ecclesie. De ipsa autem caritate hoc sentiendum est, quòd sit recta voluntas ab omnibus terrenis ac presentibus profus averta, iuncta Deo inseparabiliter & vitata, igne quodam Sancti Spiritus, à quo est, & ad quem reuertitur incensa, inquinamenti omnis extranea, corruptionis nescia, nullo vitio mutabilitatis obnoxia, super omnia que carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta. Summa actionum bonarum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, virtus pugnantium, palma victorum, sanctarum mentium arma, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum, sine qua nullus Deo placuit, cum qua nullus vnquam peccare potuit, fructuosa in penitentibus, læta in proficientibus, gloriola in perseverantibus, victoriosa in martyribus, operosa omnino in omnibus fidelibus, ex qua, quicquid est boni operis, viuunt.

Quibus exercitationibus proficiat caritas, & qua sint perfectæ caritatis signa & operationes.

C A P. X I I I I.

LX iis que sequuntur, ostenditur, quomodo proficiat caritas, & quomodo perfecta fuerit, dicendum est qualis sit, ne homo horum ignarus decipiatur credens se perfectum esse. Desiderium namque magnum proficiendi plurimum adiuuat hominem, ut ad caritatis perfectionem attingat. Magna enim pars profectus est velle proficere, nollesque progredi est regredi. Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit, & in eo perfectiorem se quisque probat, quo ad maiorem tendit perfectionem. Si nolimus redire, curredum est. Excitat quoque hoc, ut homo à creaturis inferioribus ad creatorem amorem suum recolligat. Quod his verbis declarat sanctus Augustinus dicens. Ab vno tunc auersus in multis euanui. Exarsit enim aliquando fatiari inferius in adolescentia, & syluescere me sensu variis & vmbrosis amoribus. Intendere doctrinam multum proficere facit, sicut enim paruulus absque sumptione cibi crescendo non proficit, sic anima sine doctrina deficere potius quam proficere solet. Vnde dicitur Eccle. xxvii. Filia fatua in minoratione fiet. Et in Psal. Esurientes & sitientes anima eorum in ipsis defecit. Idem facit meditatio beneficiorum Dei, proximi, & creaturarum. In meditatione mea (ait Psalmista) exardescit ignis. Est & aliud, quod vehementer excitat ad profectum caritatis (scilicet) tentatio. Electorum namque desideria deprimentur adueritate, ut proficiant, sicut ignis flammam premitur, ut crescat, & vnde quasi extingui creditur, inde roboratur, sic nimirum quum

per tentationem humilitas in anima proficit, prospera est ipsa adueritas, que mentem & caritatem accendit, & ad elationem custodit. His etenim incrementis qui ad perfectionem peruenit anima, multitudinem pacis, claritatem luminis, & inexplabilem gustum, sensumque percipit caritatis, que caritas ex quatuor insinuat superius perfectionem, videlicet, ex sua rectitudine. Perfectus namque Dei amor est rectus, efficies & afficiens animam Deum propter seipsum diligere, & non propter temporalia. Perfecti enim ad hoc videntur mundo, ut persuantur Deo, imperfecti vero e contrario, ut persuantur hoc mundo uti volunt Deo. Ex sua strenuitate. Non enim solum rectus est perfectus amor, sed etiam strenuus. Nihil certe est, quod effrenato captus amore pauat. Plurimi est terroris hostibus perfectus amor, mentisque itrenuitas, & nihil damnabilis est in homine perfecto & Christi milite, quam formido, per quam perfectio virtutum destituitur, narritur puillanimitas, obrepat inertia, & ad immunditiam actus animus occupatur. Ibant Apostoli milites strenuissimi, gaudentes a conspectu cœcilij, loquentes cum fiducia Verbum Dei, & nulla infidelium formidantes tormenta. Ex sui multitudine desiderij. Est enim perfectus amor desiderij plenus. Anima namque amans perfecte fertur votis, desiderij trahitur, ignorat siquidem iudicium, multoties ratione caret, nescit modum, nec aliud, quam quem diligit, cogitare potest, non accipit de impossibilitate solatium, nec ex difficultate remedium, nec consideratione temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subicitur. Magna plane est violentia caritatis ipsam Dei affectum attingens, & velut sagitta iecur perfecte se possidentem penetrans & transgens, quòd lenserat qui aiebat. Vulnerasti cor meum, & cetera. Et ex sui communicatione. Quanto enim quis magis attigerit ad perfectionem caritatis, tanto magis per compassionem proximi pro salute se desierit. Nam qui amare proximum negligit, profecto diligere Deum nescit, & tunc plenus in Dei dilectione proficimus, non in eius dilectionis gremio, proximi prius caritate latamur. Amor Dei amorem proximi generat, & amorem proximi calefacit amor Dei. Tunc enim ad summam perfectionem caritas mirabiliter surgit, quum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, & quo benignius descendit ad ima, eo perfectius recurrit ad summa. Quod paucis verbis notificat Dominus dicens. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Alio quoque in loco quum quidam à Domino peteret, quòd esset magnum mandatum in lege, respondit. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & cetera. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum, confirmansque sententiam ait. In his duobus mandatis tota lex pendet, & propheta. Quibus verbis perfectio colligitur caritatis, que comprehendit in se omnem legis & prophetarum perfectionem. Quoniam verò in præcedentibus capitulis de Dei dilectione compendiose tractatum est, nunc succincte pauca de proximi dilectione ponentur, ut luculenter eluceat huius perfectio virtutis, deturque omnibus forma ascendendi ad perfectionem, & tunc demum ponetur huic tractatu de caritate finis, quod est finis, & præsentium perfectio.

Quibus

Psal. 106.

Psal. 38.

Ioan. 1.

Deut. 6.
Mat. 22.